

66 . Dissertatio CCVI, De Mariæ Virginis, &c.

esse, posset sic quoque quis argumentari: Non fuerunt vera Christi miracula, quia si fuissent vera, Judæi ea vidissent, & si vidissent, Christum non crucifixissent: iterum, fabulosa fuerunt quæ de Christo narrantur a Pastoribus, & a Magis in præsepio visitato, & cum Doctoribus in templo disputatae; quia si fuissent vera, ea scivissent Sacerdotes, & non dixissent: Unde huic Sapientia hoc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria? Unde ergo huic omnia ista? Vel ergo dicendum est fuisse effectum pertinacia Judæorum, ut Christum, & Mariam, matrem ejus, etiam post tot miracula non agnoscerent; vel fuit divina permisio, qua Deus volebat, Christum per humilationem sui redimere genus humanum; unde & ipse, & mater ejus contempribiles a Judæis, & ab ipsorum Primoribus habebantur.

Ad VI. Ecclesia nec approbat, nec reprobatur ullam ex sententiis, quæ circa Virginis æratem, quando templum ingresa est, circumferuntur; & ut quamlibet ex ipsis in sua relinqueret probabilitate, noluit, ut in oratione pro Præsentationis festo ætas Virginis determinate poneretur; & consulto se abstinuit ab annorum ejus numero designando, ut quisque posset suam sententiam absque fidei præjudicio sustinere. At quam nos pro nostra sententia graviora habeamus momenta, quibus ad dicendum innititur, Mariam fuisse trimulam, quando in Templo est præsentata; ideo eam cæteris opinioribus prætulimus, atque defendimus.

Ad VII. Quum nuper dixerimus, mulieres Deo sacras non habitasse in templo, sed in ædibus templi, diximus quoque ab ipsis ædibus venisse in templum, quando illuc accedebant, Deum adoratæ, & exoraturæ. Inutiliter ergo vix facit Serry in verbo illo *veniebant*, quia non necessario importat venisse a domibus, quæ erant extra templum mulieres, ut Deum adorarent. Alia autem est ratio de mulieribus, de quibus sermo habetur 1. Reg. 2. quia illæ non erant Virgines Deo sacras, sed erant mulieres, quæ in propriis domibus habitabant, & quas Filii Heli nefario, ac sacrilegio conatu constituerant, & de his quoque intelligendus est Bonferrus a Serry citatus.

Ad VIII. nec novum hoc temporibus nostris habetur in Cœnobis mulierum, atque virorum, qui eidem Ecclesiæ inserviunt, & mero dividuntur in Claustris. Attamen diximus, fuisse divisionem quoque inter cellas virorum, & cellas mulierum; quia triginta ex illis erant in parte inferiori templi, triginta in media, triginta in superiori. Ex quibus una pars erat pro aeratione rerum deputata, altera pro custodia, & habitatione mulierum, tertia pro virorum domicilio, & una ab altera opportunis, & convenientibus modis disjungebatur. Cæterum ipsem Serry afferit, Josabeth, quæ erat uxor Jojada Summi Pontificis, habitasse in ædibus templi, & cum ea mulieres quoque Sacerdotum fuisse qui templo inserviebant pro vicibus suis, opus est, ut dicamus, & cum iisdem partiter, quæ erant ancillæ, & domesticæ earum, habitationem habebant, & nutrix denuo Joas, adhuc pueri ibidem recepta est, ut diximus. Sicut ergo nec indecens, nec modestia contrarium fuit mulieres has habitare in ædibus circa templum, prope quas erant ædes illorum, qui erant ministri templi, ita nec erat in eodem loco habitare puellas, quæ Deo sacrae in templo offerebantur,

Ad IX. Expressæ apud Lucam cap. 2. dicitur de Anna Phanuelis filia, quod non discedebat de templo, & quod serviebat die ac nocte jejuniis, & obsecrationibus; Obsecrationes autem fiebant in templo. Verum quomodo sint verba illa intelligenda diximus nuper in probatione 2.

Ad X. Si semel probetur, quod repugnantia non sit in iis, quæ ideo refutantur, quia repugnare judicantur; statim ex non implicanti deducimus factum; res enim sunt non juris sed facti, & ut eas sine habitatione afferamus, sufficit, ut probemus esse sine repugnantiis illis, quas adversari nostri communiscuntur. Certe enim non valet argumentatio, ut Scholastici loquuntur, potentia ad actum, quando loquimur de re factibili, & non facta; Sed nos hic de re facta sermonem habemus, & de cuius existentia testimonia non defunt, & repugnantiae evanescunt. Et ita pro Baronio, immo pro veritate, & pro Virginis Præsentationis honore, hæc dixisse, contenti sumus.